PROGRAMM

DES

KÖNIGL. GYMNASIUMS ZU BONN

womit

zur öffentlichen Prüfung und Schlussfeierlichkeit

am 30. und 31. Aug. 1848

ergebenst einladet

der Director

Prof. Dr. Schopen.

INHALT.

GEDRUCKT BEI CARL GEORGI.

Quaestiones geographicae de Lycia.

Pars prima.

Cap. I.

De Lycia minore sive Zeleia Homerica.

Ex Asiae minoris partibus, quarum cognoscendarum antiquissimus ac principalis fons semper veteribus geographis erant Homeri poemata, secundum Troadem maxime memoratu digna esse videtur *Lycia;* quo nomine duae partes inter se diversae ab Homero significantur; altera est Ζέλεια, regio cum urbe cognomine sub Idae radicibus mare versus sita, quae a posterioris aetatis scriptoribus, imprimis scholiastis Homericis*), Lycia minor dicitur. Homero **) auctore eam regebat Lycaon cum Pandaro filio, egregio illo sagittario, cui Apollo ipse arcum dedisse dicitur. Quae quidem Lycia utrum re vera exstiterit, an ex commentis poeticis orta sit, quodam modo dubitari potest; omnes enim rerum scriptores antiquiores, in his

---

*) Cf. Schol. in Hom. Il. IV, 88. ed. Bekk.: *Τριόπου υἱὸς — κτίζει Ζέλειαν τῆς μικρᾶς Λυκίας* et Eustath. ad Il. IV, 101: *Λυκηγενὴς δὲ Ἀπόλλων κατὰ τὸν μῦθον, οἱονεὶ Λυκιηγενὴς, ὡς ἐν Λυκίᾳ γεγονὼς, ἢ τῇ μεγάλῃ κατά τινας, ἢ τῇ μικρᾷ, ἧς Πάνδαρος ἦρχε κ. τ. λ.* V, 479.

**) Il. II. 824. sqq.

Οἳ δὲ Ζέλειαν ἔναιον ὑπαὶ πόδα νείατον Ἴδης,
ἀφνειοὶ, πίνοντες ὕδωρ μέλαν Αἰσήποιο,
Τρῶες· τῶν αὖτ' ἦρχε Λυκάονος ἀγλαὸς υἱός,
Πάνδαρος, ᾧ καὶ τόξον Ἀπόλλων αὐτὸς ἔδωκεν.

Herodotus, gravissimus de Lycia propria auctor, nihil prorsus de hac Lycia Homerica memoriae prodiderunt. Primus, qui eius terrae mentionem fecit, est Strabo geographus, qui ut alibi, sic hac quoque in re Homeri auctoritatem sequutus, pluribus locis XII, p. 565; XIII, p. 398 Zeleiae incolas appellat Lycios neque tamen facere potest, quin miretur, quod poeta Pandarum Zeleiae Troianae eundemque Lyciae regem fuisse memoret. Quod Strabo dubitanter tantum et verecunde pronuntiavit, grammatici Alexandrini ita pro certo habuisse videntur, ut regioni illi Troianae nomen Lyciae minoris imponerent. cf. Schol. Bekk. ad Il. l. IV, 101. V. 103. Quocunque modo res poetarum fama celebrata se habet, id certe apparet, inde ab antiquissimis temporibus Troianos et Lycios multis vinculis coniunctos fuisse, id quod probatur cum sermonis communione ex Homerico loco Il. VI, 150. sqq. conspicua, ubi Diomedes et Glaucus Lycius inter se colloquuntur, tum eodem fere religionis cultu, quippe quum apud utrumque populum Apollo maxime coleretur*), denique multorum nominum et Lyciorum et Troianorum similitudine, ut Xanthi fluminis, qui et in Troade et in Lycia invenitur. Cf. E. Rückert p. 50. in libro, qui inscriptus est „Trojas Ursprung, Blüthe, Untergang und Wiedergeburt in Latium". Hamb. und Gotha 1846. 8.

Sed de Lycia minore, quae ad poetarum magis fabulas, quam ad rerum fidem referenda est, haec paucis attigisse sufficit, quae ut unquam ad liquidum perducantur, valde mihi verendum esse videtur **).

---

*) Il. IV, 101. 119.

**) Nostris temporibus haec lis denuo agitata est docte ac copiose a Fellowsio, qui quum Tloe, urbe Lycia in superiore Xanthi valle sita, Pandari maxime praeter Apollinem culti vestigia atque in titulis monumentorum pro *Τλώων* scriptum invenisset *Τρώων*, eam sententiam sibi finxit, ut Homerum *Τλώς* et *Τρῶς* inter se confudisse Pandarumque ex Lycio Troianum fecisse putaret.

Cap. II.

De Lycia propria quid recentiores peregrinatores ante Fellowsium exploraverint.

Iam ad eam Lyciam accedamus, cuius nomen apud Graecos et Romanos celebratum, deinde per multa secula oblivioni traditum his diebus redintegratum est. Quae de fama et rerum gestarum magnitudine Lyciorum et Graeci et Romani scriptores prodiderunt testimonia, ea cum alii, tum maxime Cramerus tam diligenter collegit et exposuit in libro , qui inscriptus est: Geographical and historical description of Asia minor. Oxford. 1832. 2 voll. 8., ut his testimoniis denuo repetendis mihi supersedere liceat. Sed quum Lycia maioris descriptio a Fellowsio feliciter instituta nuper a viris doctissimis Spratt et Edw. Forbes in libro, cui titulus est: Travels in Lycia, Milyas and the Cibyratis. 2 voll. Lond. 1847. 8. egregie aucta adeoque perfecta esse videatur, ut narrationes scriptorum locupletissimorum Herodoti, Strabonis, Plinii, Pomponii Melae ad veritatem proxime accedant, a re non alienum esse videtur, horum virorum curas in unum quasi conspectum collectas proponere. Quae veterum testimonia quamquam satis multa et gravia erant, tamen longum per tempus ad nostram usque aetatem viri docti Lyciae cognoscendae parum operae adhibuerunt, ita ut in tabulis geographicis neque fluminum cursus, nec montium tractus, neque locorum positio iuste descripta invenirentur. Nuper demum anno millesimo octingentesimo undecimo et duodecimo vir Anglus multis navigationibus clarus Beaufort exstitit, qui oris maritimis huius terrae diligenter inspectis res maxime cognitu dignas in libro, qui inscribitur: Karamania or a brief description of the south coast of Asia minor anno 1818 publici iuris fecit. In hoc quidem libro imprimis situs et ambitum orae, tum positionem urbium Patarorum et Myrorum descripsit huiusque potentiam atque famam S. Pauli adventu auctam egregie exposuit, denique situm Antiphelli, Olympi et Phaselidis et praeter alios locos Chimaeram montem invenit et tam accurate ex locorum natura definivit, ut vera esse probaret veterum testimonia de hoc monte pro fabula fere habita imprimis Plinii qui l. II. p. 106. ait: „flagrat

in Phaselitide mons Chimaera et quidem immortali diebus ac noctibus flamma“ et Senecae ep. LXXIX.: „in Lycia regio notissima est, Hephaestion incolae vocant, perforatum pluribus locis solum, quod sine ullo nascentium damno ignis innoxius circuit. Laeta itaque regio est et herbida, nil flammis adurentibus, sed tantum vi remissa ac languida refulgentibus“ *).

Eodem fere tempore, quo Beaufort Lyciae oram visit, in hanc regionem pervenit Cockerell architectus eximius, qui una cum illo Myra, quae in numero urbium VI principalium a Strabone memoratorum**) nominantur, Limyram, Aperlas aliasque urbes et magnam copiam monumentorum invenit; quorum priori contigit, ut primus inscriptionem bilinguem, litteris priscorum Lyciorum et Graecorum notatam inveniret atque describeret. Quo factum est, ut viri docti hac inscriptione quasi clavi utentes in cognitionem Lyciorum linguae penetrare conarentur. Xanthum vero urbem, cuius potentia ac gloria praeter caeteras excellebat, quamquam situm non ignorabant, hi viri prorsus inexploratam reliquerunt. Etiam alius peregrinator Hamilton, qui animo flagravit in hanc regionem proficiscendi, rumore allato pestilentiam in hanc terram incidisse, a consilio suo revocatus est atque Leake, qui anno millesimo octingentesimo Asiam minorem indagare studuit, nostrae provinciae exiguam partem vidit et nihil fere nisi ruinas Kakavae et Aperlarum urbium accuratius descripsit.

Cap. III.

Fellowsii merita de Lycia universa imprimis de Xantho urbe et fluvio.

Omnium horum peregrinatorum laudem obscuravit Fellows, qui de interiore terrae parte neque a veteribus neque a recentioribus diligenter

*) Omnes veteres scriptores monti prope Phaselidem urbem et Olympum montem sito fabulam de Chimaera affingunt, praeter Strabonem qui eam in Cragum transtulit cf. l. XIV. p. 665.: *Περὶ ταῦτα μυθεύεται τὰ ὄρη τὰ περὶ τῆς Χιμαίρας· ἔστι δ᾽οὐκ ἄπωθεν καὶ ἡ Χίμαιρα φάραγξ τις, ἀπὸ τοῦ αἰγιαλοῦ ἀνατείνουσα.*

**) Strab. XIV. p. 665.: *Ἓξ δὲ τὰς μεγίστας ἔφη ὁ Ἀρτεμίδωρος, Ξάνθον, Πάταρα, Πίναρα, Ὄλυμπον, Μύρα, Τλῶν.*

cognitae atque descriptae primus accuratam et luculentam imaginem nobis exhibuit. Duobus itineribus anno millesimo octingentesimo tricesimo octavo et biennio post susceptis totam regionem in diversas partes ita perlustravit, ut non solum multarum celebrium urbium situs atque naturam exploraret, sed multas alias res, quae ad vitam, religionem ceteraque vitae instituta pertinent, felicissime investigaret.

Quantos diligentiae suae fructus perceperit, hinc apparet, quod ex triginta sex Lyciorum urbium numero, quas Plinius *) enumerat, non minus viginti quatuor invenit et maximam partem recte definiit.

Primum huc referenda est Xanthus urbs, Xanthus fluvius eiusque vallis. Urbem ipsam, quam Artemidorus primam inter sex maximas enumerat, sub illo nomine frustra quaeris in monumentis; ei Arinae vel Arnae ante Graecorum invasionem, cuius mentionem fecit Herodotus l. I. 173, fuisse nomen, probatur et inscriptionibus illius monumenti ex Lycia in museum Britannicum deportati et eo, quod Stephanus Byzantius s. v. Ἄρνα affert. Ambitus eius ad sinistram Xanthi fluvii ripam in colle leniter acclivi non procul a mari sitae, spatium duorum millium passuum, templis, monumentis, statuis, portis triumphalibus obsitum complectitur; ibi muri Cyclopii arte Graeca insignes, figurae deorum hominumque eleganter atque ingeniose factae fortia facta maiorum caelata in marmore conspiciuntur; theatrum quod paullo inferius acropoli aedificatum erat, altera parte rupibus, in quibus innumera sepulchra sunt incisa, altera Xantho flumine amoenissimo circumdatum, occidentem versus in Cragum, variis cacuminibus formisque insignem, ad orientem in colles perpetuo iugo iunctos, denique meridiem versus ad Patara usque longe lateque aspectum praebet.

Quod si ex his monumentis post tot secula reservatis imaginem urbis quondam opulentae et florentissimae animo concipere possumus, civium huius urbis qualis animus moresque fuerint, coniecturam satis certam facere licebit. Quo magis dolendum, quod ex aetate, qua florebant Xanthii, pauca tantum testimonia ad nos pervenerunt. Quae autem nobis quam-

*) Plin. V. 28. Lycia quondam LXX oppida habuit, nunc XXXVI habet.

vis parca in antiquorum litteris tradita sunt, satis ea declarant Xanthi cives virtute et fortitudine ornatos fuisse non indigna, quae cum fortissimis terrae populis comparetur. Tria exempla eximiae virtutis ex diversis temporibus veteres nobis exhibuerunt. Primum quum Harpagus Cyri dux in Xanthium campum promovisset exercitum, Xanthii copiis eductis pugnam inierant, pauci contra magnam hostium copiam, et egregia virtutis specimina edidere. Sed proelio superati et in oppidum compulsi congregatis in arcem uxoribus liberisque et rebus pretiosis et servis ignem subiecerunt arci, ut tota concremaretur. His factis, diris iuramentis invicem adstricti, egressi sunt et fortiter pugnantes Xanthii fere omnes perierunt. Plerique autem Lycii, qui Herodoti aetate Xanthios se esse praedicabant, advenae erant exceptis octoginta familiis, quae familiae tunc temporis forte domo aberant atque ita superfuerunt. Atque verisimile est, advenas illos haud dubie Graeca origine ortos, seculo ante illam aetatem in hanc regionem migrasse. cf. Herod. I. 176. Tum vero iidem Xanthii posteriore tempore ab Alexandro Magno oppugnati, quamvis eius viribus vix resisti posse videretur, tamen nullo timore perculsi omnes conditiones recusantes vitam quam libertatem amittere maluerunt. cf. Arrian. Alex. exped. I, 24. 7. Deinde quanta fortitudine excelluerint in Romanos, Plut. in Brut. c. XX. sqq. Appian. in bello civil. IV, 78. et Dio Cassius XXXXVII. 34. docuerunt. Quum enim Brutus praeter alias Asiae gentes Lycios sub suam potestatem redigere in animum induxisset, primos Xanthios bello adortus est; sed urbem fossa amplius quinquaginta pedes alta circumductam, vi aggressus est, ita quidem ut exercitu in diurnas nocturnasque vices diviso fossam aggere compleret vineasque ageret. Xanthii quamvis operibus circumclusi fortiter longum per tempus restiterunt ignem in machinas iniicientes, omnemque hostium conatum prohibituri videbantur, nisi milites Bruti per medium ignem impetum in illos fecissent. Muris fractis intus et foris portas feriebant, quare Xanthii urbe capta salute desperantes intra privatas aedes se receperunt et suos quisque carissimos ultro praebentes iugulum necarunt; exortoque eiulatu maximo direptionem putans fieri Brutus, milites per praecones cohibuit. Quum vero rem accuratius co-

gnosset, miseratus virorum ad libertatem natorum generosam indolem, ad pacem eos invitavit per nuntios, quos illi telis immissis repulerunt; et interfectis prius suis omnibus atque in rogos compositis, quos iam antea in aedibus exstruxerant, subiecto igne se ipsos una cum illis peremerunt, ita ut ex ingenuis non nisi paucae mulieres et viri vix centum quinquaginta superessent.

Sed ut ad Fellowsium revertar, idem vir in indagandis rebus Lyciis sagacissimus praeter urbis Xanthi situm etiam fluvii eiusdem nominis, quem dives ac potens circumsedebat populus, cursum, fontes totumque Xanthi vallem diligenter persequutes est. Invenit enim duos fontes in Tauri, quem vocant Lycium, partibus, quae Cibyratidem et planitiem, cui Almalee hodie nomen est, secernunt, cuius aquae maximam partem in lacum Avelanum immittuntur. Non procul a confluentibus illis fontibus alius rivulus in Xanthum e Daedaleis montibus praecipitat, cuius undas praeter duos alios torrentes e Massicyti vallibus prope Tlon urbem orientes Xanthus trahit, qui Tlon, Xanthum Pataraque praeterfluens iam magna aquarum vi auctus, rapidissimo cursu, cum plus quam sex millia pedum supra maris superficiem originem habeat, exit in mare mediterraneum, circiter ducentorum *) milliarium Anglicorum iter alveo stringens.

Cap. IV.

De aliorum post Fellowsium peregrinatorum studiis ad Lyciam pertinentibus.

Inde ab eo tempore, quo Fellows hos urbium situs exploravit, alii viri meritissimi eum sequuti vel singuli singulas terrae partes perscrutati sunt, ut Hoskyn, qui et veram Daedalorum positionem, a Fellowsio pro Calynda habitorum et Cauni Peraeae capitis situm detexit, vel coniuncti in remotiores adhuc incognitasque Lyciae partes adiere. Quorum in numero

*) G. Scharf introductory remarks to Lycia, Caria, Lydia. Lond. 1847. p. 6.

Hoskyn et *Forbes* in Cibyratarum regionem progressi Oenoandam et Balburam urbes indagarunt, quas quidem copiosius descripsit Hoskyn in diario, cui titulus est «Journal of royal geographical society MDCCCXLIII. Denique anno MDCCCXLII tres viri *Spratt*, *Forbes* et *Daniell* intima familiaritate et pari studio Lyciorum res indagandi coniuncti in hunc laudis campum descenderunt, qua in re laborem et studium ita inter se dispertiti sunt, ut Daniell antiquitatis potissimum monumenta, Spratt res geographicas describendi terraeque imaginem depingendi operam susciperet, Forbes denique studium in rebus naturalibus scrutandis explicandisque collocaret. Omnes vero quum artis delineandi peritissimi essent, coniuncta opera veram exactamque totius terrae imaginem atque rerum et locorum maxime memorabilium picturas nitidas proponere studuerunt. Horum trium virorum laboribus contigit, ut XVIII urbium situs nondum cognitos indagarent et inscriptionibus repertis XV firmarent ac praeterea trium urbium antea iam descriptarum vera nomina eruerent. In earum numero habendae sunt maximae potentissimaeque urbes Asiae minoris, Cibyra, caput trium urbium*) et postea conventus XXV urbium**), deinde Termessus maior urbs antiquissima et imprimis Alexandri Magni expeditione celebrata, tum Selge haud dubie urbs magna et potens cf. Arrian. Alex. M. exp. I. 28, cuius cognitio Daniellsio soli debetur, morte praematura Adaliae anno MDCCCXLII oppresso***).

Cap. V.

De urbibus Telmesso, Pinara, Cydna, Sidyma, Calynda.

Iam si quaerimus, quid virorum laudatorum opera ad accuratiorem veteris Lyciae cognitionem profecerimus, singulare eorum meritum in de-

*) Strab. XIII. 361. *Ηὐξήθη δὲ διὰ τὴν εὐνομίαν· — προσγενομένων δὲ τριῶν πόλεων ὁμόρων, Βουβῶνος, Βαλβούρων, Οινοάνδων τετράπολις τὸ σύστημα ἐκλήθη.*

**) cf. Plin. V. 28.

***) Eodem fere tempore urbes, quas modo nominavi ac nonnullae aliae visebantur a vv. dd. Loew et Schönborn, quorum inscriptiones collectae in Boeckii Corp. inscript.

scribendis sitibus et ruinis urbium nobiliorum agnoscere debemus. Ita quidem Macridem urbem, quam portu atque emporio ornatam omnes peregrinatores primam intrare solent, firmissimis argumentis antiquam *Telmessum* esse statuerunt. Haec sita erat urbs loco edito ad sinum cognominem in Cragi montis latere*) declivi ac derupto, quod sepulcris cavatis et sculpturis omnis generis impletum est, quorum alia Ionum templa, alia aedificia lignea anaglyptis largis splendidisque decorata imitantur, in quorum fronte crebro inscriptiones Graecae et Lyciae incisae sunt. In summo loco urbis theatri reliquiae conspiciuntur, quibus medio aevo ad castella munimentaque uti solebant. Quam urbem quod ad unum omnes peregrinatores inde a Clarkio certatim descripserint, huius rei praeter urbis ipsius celebritatem ac magnitudinem haec caussa esse videtur, quod cives Telmessenses olim peritissimi prodigiorum interpretes fuerunt vaticinandique scientia ipsis pariter atque uxoribus et liberis insita fuit**). Etiam peregrinos reges eorum disciplina et oraculis usos esse testantur Herod. I, 78 et Cic. de div. I. 41. quare Plinius urbem religiosissimam vocasse videtur. De hac oraculorum atque haruspicum fama, qua Telmessus florebat, alia cognominis urbs sive Cariae sive Phrygiae cum nostra urbe Lycia certasse fertur, ita ut eundem honorem optimos augures procreasse sibi vindicarit. Quae tamen urbs quum neque a gravissimis scriptoribus commemorata neque alio modo eius memoria servata sit, confusionis causam a confinio utriusque regionis, quo Telmessus Lycia sita erat, profectam esse verisimile est. Nam Livius XXXVII, 16 scribit, „Telmessicum sinum uno latere Cariam, altero Lyciam contingere", quem sinum Strabo Glaucum vocat***).

Ex hoc sinu planities altiore loco sita, quam Glaucus perfluit, extenditur, altera parte Crago, altera Daedaleis montibus, in quibus Cadyandae

---

*) Hic mons ab aliis Anticragus, a recentioribus Soumbourlon nominatur et eius altitudo a Beaufortio VI millium pedum supra mare aestimatur.

**) Arrian. Alex. exp. II. 3, 4: *Εἶναι γὰρ τοὺς Τελμισσέας σοφοὺς τὰ θεῖα ἐξηγεῖσθαι, καί σφισιν ἀπὸ γένους δεδόσθαι αὐτοῖς καὶ γυναιξὶ καὶ παισὶ τὴν μαντεῖαν.*

***) Strabo XIV, 651: *Μεταξὺ δὲ πρῶτον μὲν ἀπὸ Δαιδάλων πλέουσιν ἐπὶ τὴν δύσιν ἐπ'εὐθείας τῇ ἐκ Κιλικίας, καὶ Παμφυλίας, καὶ Λυκίας παραλίᾳ, κόλπος ἐστὶν εὐλίμενος, Γλαῦκος καλούμενος.*

urbis ruinae inveniuntur, inclusa, ita ut liberum praebeat prospectum in nivosa Massicyti Taurique, quem diximus Lycium, cacumina. Ab eodem sinu duorum dierum itinere abest Xanthi vallis celebrata, in quo si ad meridiem spectas, *Minara*, vicus hodie frequentissimus, quae olim *Pinara* urbs vocata est, occurrit. cf. Fellows, Spratt et Forbes l. c. I. p. 6. et Strab. XIV. 665. Ea igitur sita est in Cragi recessu quodam amplo*) in rupe ardua et praerupta, ruinis variis monumentorum aedificiorumque plena, cuius latera sepulcris splendidis tam multis excavata sunt, ut plus mille, quibus et natura et hominum iniuria pepercit, sub oculos cadant. Supra totum montem rotundum rupes altissimae e Crago quasi exsilientes prominent. Theatrum urbi adiacens amoenissimo loco positum fuit, ex quo quum in Xanthi vallem superiorem et inferiorem usque ad mare prospectus apertus esset, cum nullo alio totius regionis theatro, quod vel maris vel regionis amoenae aspectum dabat, comparari potest.

Supra theatrum, quod per medium centum septuaginta tres pedes occupat, acropolis inferior cum pluribus aedificiis Cyclopum modo constructis iacet, infra quam odeum, per medium octoginta sex pedes amplectens, et propylaeum immensum terrae motu fractum exsplendescit; inde ad acropolin superiorem ascendis insignem et ob sepulchrorum copiam mirabilem, quae ita ordinata sunt, ut maximum splendidissimumque in medio sit, reliqua circumiaceant. Denique super haec omnia castellum firmissimum et ab aliis monumentis prorsus separatum excellit, ex quo oculi ad infinitos Cragi vertices niveque candida Massicyti cacumina et in fertiles Xanthi ripas convertuntur. Sepulcrorum quaedam aedificiorum ligneorum modo constructa et ita ampla sunt, ut hieme una earum familiarum, quibus hodie nomen Uruck est, in eis habitare soleat. Id quoque cognitu dignum esse videtur, Lycios in summo tecto boum aures et cornua imitatos esse, quae etiam nunc Lyciorum exploratores viderunt. Quem mo-

---

*) Strab. XIV, 665: *Ὑπόκειται δὲ τῷ Κράγῳ Πίναρα ἐν μεσογαίᾳ τῶν μεγίστων οὖσα πόλεων ἐν τῇ Λυκίᾳ.* Fellows invenit eam in altero itinere a. MDCCCXL. isque non postremus fuit eius laborum fructus.

rem hisce rebus ad decorandum utendi iam Herodotus VII, 75. descripsit; dicit enim Bithyniae populum exiguas ex bovino corio parmas habere et bina venabula in Lycia confecta et capitibus impositas galeas aeneas et super his aures et cornua ex aere itemque cristas.

Altera urbs in Cragi radice ad meridiem prope mare sita fuit *Cydna*, cuius reliquiae, quas primum Beaufort et Leake, tum Fellows, Spratt et Forbes recognoverunt ac descripserunt, tam exiguae sunt, ut nihil nisi muri Cyclopii supersint, quibus Xanthii, in quorum potestate inferior Lyciae pars potissimum erat, castello vel munimento usi esse videntur. Tertia denique urbs in Crago ipso est *Sidyma*, in colle edito posita. cf. Plin. V. 28. Hodie ibi Tortoocar Hissá vicus iacet, in quo Fellows et alii nomen urbis in lapidibus incisum legerunt. Artis opera, quae vir ille egregius animadvertit, singulari et ad Graecorum perfectionem accedente simplicitate conspicua sunt et mirum in modum distant a nova et inusitata forma eorum, quae Pinarae occurrunt; muri Cyclopii frustra quaerebantur et theatri forique ambitus minor erat, quam ut ex locis, quibus cives convenire solebant, urbis veteris amplitudo cognosci posset. Mons, in quo Sidyma collocata fuit, plus tria millia pedum supra mare ascendens magnas circa urbem in dorso fert silvas, quarum arbores, imprimis quercus*) aegilops olim ut etiam nunc apud Lycios, Smyrnaeos, Rhodios aliosque populos vicinos in merce fuerunt. Propter quam crebritatem silvarum quod regio hominibus infrequens est, magna ferarum copia ibi vagatur, quarum nonnullas in Lyciorum monetis pro symbolis deorum hominumque invenimus. In iis potissimum numerandus est leo, quem cum bove pugnantem in sepulcris, columnis, aedificiis aliisque monumentis caelatum vides, tum lupus, aper, ursus, canis hyaena, caprea fera**), quae maxime in summo Crago degit, denique coluber in radice huius montis frequens***). Leonem nunc quoque ibi versari, Fellows quidem ex narrationibus incolarum

---

*) A Smyrnaeis mercatoribus hodie appellatur Velanéa.

**) Spratt l. l. tom. II. p. 63. sqq.

***) Et sub ruinis urbium maxime invenitur anguis punctatissimus. cf. Spratt l. l. tom. II. p. 69.

compererat, sed Spratt et Forbes, qui rebus naturalibus maximam curam tribuerunt, nusquam leonis vestigia se detexisse affirmant. Non procul ab hoc oppido, ubi Cragus, qui inde Anticragus*) nominatur, ingentes rupes in mare extrudit, ruinae haud exiguae repertae sunt; verum num ibi Sidymae portus, an castellum quoddam, an Cragus urbs, forsitan a Sidyma diversa, sita fuerit, cum neque inscriptiones nec monetae in virorum doctorum manus pervenerint, adhuc in medio relinquitur.

Ultra Cragum et Anticragum, cuius latus septentrionale Glaucus amnis alluit, montes ad tria millia pedum alti circa Hoozoomlee assurgunt, cum Daedaleis (hodie Eljik Dagh) circa septem mille ducentos pedes altis cohaerentes. In illis magnas aedificiorum reliquias conspicuas esse, iam Fellows in itinere primo anno MDCCCXXXVIII a Graecis huius regionis peritissimis audivit. Quas quum ob situm praeclarum in loco edito positas cognovisset, unde prospectus in mare subiectum altissimosque montes Cragum, Massicytum, Taurum, latissime patet, iure admiratus est hunc veterum Lyciorum morem, qui libertatis amore ducti, quo facilius hostium incursiones depulsarent, urbes fere omnes in summis montibus collocarunt. Reliquiae, quas ibi visit, memoratu dignissimae sunt. Iam mediam per urbem via ducit ab utroque latere columnis, simulacris, lapidibus templorum dirutorum impleta; non procul ab urbe theatrum clivo leni adiacens, quod e sedibus semicirculo ordinatis adhuc integris facile est cognitu. Infra hoc longa sepulcrorum series hanc urbem exornat, cuius nomen *Cadyandam* fuisse ex inscriptionibus maximam partem Graecis apparet. cf. Boeckh. corp. inscript. I. 1. n. 4223. sqq. (Καδυανδέων ἡ βουλὴ) et Spratt l. l. tom. II. p. 268. (Καδυανδέων ἡ βουλὴ). Etsi viri illi docti ex amplis ruinis latius milliari anglico dispersis eam urbem haud parvam fuisse recte coniecerunt, tamen ad unum omnes scriptores veteres de ea silent. Quo factum est, ut, qui Lyciam explorarunt, in dubium vocaverint, num hoc nomen inscriptionibus certe firmatum idem sit atque Κάλυνδα, quod

*) Secundum Strabonem octo vertices cf. XIV, 665, ut plerique navigantes dicunt, septem tantum sunt, nisi omnes vertices pro uno promontorio, ut Scylax p. 39. Plin. V, 28. habere vis.

Herod. I. 172. et Strabo *) commemorant. At vero hoc nomen inscriptionibus non probatur nec nisi in duabus monetis occurrit. cf. R. Rochelle Journal des Savans 1842. p. 396. Millingen sylloge of anciens unedited coins. Lond. 1837. p. 72. Quae quum ita sint, in Hoskyni Lyciae investigatoris diligentissimi sententiam (cf. geogr. Journal. vol. XII) discesserim, qui, quod aliarum urbium reliquiae in hac Lyciae parte nullae inveniantur nec Daedala urbs amplius cum Calynda, ut Fellows primum fecit, commutari possit, Cadyanda et Calynda nomina eadem putanda esse, recte iudicat, nisi alterius urbis novis indiciis in lucem protractis contrarium probetur.

Cap. VI.

De Tauro Lycio, vallibus et planitie Alexandri M. expeditione nobili.

Ea, quae de Crago, Anticrago et Daedaleis montibus supra a nobis disputata sunt, parvam Lyciae partem ad dextram Xanthi ripam ad mare usque complectuntur; altera autem pars in sinistra ripa non minus montibus, qui recentiorum regionis nostrae investigatorum opera ad omnium cognitionem pervenerunt, insignis est. Primum Taurus, quem, ne cum illo immenso arbitro innumerarum gentium (Plin. V. 27.) confundam, Lycium nominavi, summum montium iugum intelligendum est, quod Cibyratarum terram a planitie magna, in qua Almalee floret his diebus, secernit; itaque non a Massicyto ad septentrionales usque Lyciae fines tendit, ut cum Solyma monte se coniungat, sed brachia ad septentrionem emittens ad meridiem inter Stenez (Mandropolin) et Almalee finitur. Extra *Taurum* autem montes humiles Caralitidem vallem cum illa palude, quae plerumque Caralitis appellatur, a Cibyratarum planitie, quae ad Milyadem

*) XVI, 561. legitur *Κάλυμνα πόλις*, Ptolem. V, 3. *Κάλινδα*.

pertinet, seiungunt. Massicyti vero brachium septentrionale eam Cabaliae partem cingit, in qua sitae sunt urbes Oenoanda, Balbura et Bubon, quibus tota Solymorum regio annexa est. Itaque altissimi montes Lyciae Massicytus *) et Solyma cum singulis cacuminibus recte Tauri partes dici possunt, qui a septentrione meridiem versus exeuntes in mare mediterraneum procurrunt.

Eorum autem montium iuga, quae Lyciam attingunt et aeque fere intervallo inter se distant, plures planities vallesque secernunt, quarum maximae, in quibus urbes Almalee et Stenez iacent, Solymorum regionem vel Milyadem amplectuntur. Alter tractus montium a septentrione occidentem versus expansus vallem illam, in qua Oenoanda Cibyraque urbes erant, circumcludit et Cabaliam comprehendit, quam hoc nomine veteres Graecorum auctores (cf. Strab. XIV. 631.) denotarunt, Romani autem Pisidiae partem, quae Lyciam attingeret, esse dixerunt.

Superest tertia denique montium series ita inter Pisidiae planitiem quam dixi ac Cibyratidem extensa, ut plana regio Karaok quae appellatur, in vallem Indi fluminis (Dalamon Tchy **) aperiri videatur, altero latere Cadmo (Baba-Dagh), altero vero Cariae montibus finitimis cincta. Quum Lycia propter tot tantosque montes aspera atque agrorum fertilium egena esse videatur, magna admiratio nos tenet, quibus rebus incolae tam frequentium urbium vitam sustentaverint, quos et res ad vitam et ad bellum potissimum necessarias aliis populis, ut Troianis et postea ingenti Xerxis exercitui suppeditasse satis historia docet. Quod quidem fieri non potuisse manifesto apparet, nisi planitierum agri, quas supra commemoravimus, uberrimi omnique genere frugum fertilissimi iis rebus, quae ad hominum victum necessaria sunt, abundassent. Et prima quidem planities et olim et nunc quoque celebrata, quum mercatores inde in portum Ada-

---

*) Massicytus (Akdagh) ascendit in sublime 10,000; Oenii silva 5,500, Solyma 7,800, Daedala 7,200 et Kaziljah-Dagh 9,500 pedes.

*) Plin. V. 28. Amnis Indus in Cibyratarum iugis ortus recipit XL perennes fluvios, torrentes vero amplius centum. *Κάλβιν* hunc vocat Strab. l. XIV, 651. Ptol. V, 2. Mela I, 16. et Dr. Loew et Schoenborn in l. Ueber einige Flüsse Lyciens u. Pomphyliens. Prog. 1843.

liae, Phinecae et Macridis commeent, cognitu haud indigna videtur; sita enim est circiter tria millia pedum supra mare, contra frigoris aestusque iniuriam tuta, quare orae incolae aestate appropinquante domibus relictis sedem illuc transferunt. In media planitie lacus est, ex hodierna urbe nomen Avelani trahens, frequenter accolitur a circiter XX millibus hominum. Qui quum X milliaria Angl. in longitudinem et IV in latitudinem extensus multis arboribus frugiferis, quarum in numero „arbores vitae" praeter alias nominandae sunt, septus atque ornatus sit, mirum in modum non solum regionis fertilitatem, sed amoenitatem auget. Cum vero tantopere mare superet, peregrinatores multi censuerunt, undas, quas e fluminibus, ut e Ak-Thy fluvio in Massicyto nato accipiat, subterraneis foraminibus in mare emanare; at Fellowsio teste lacus nusquam aquarum exitum oculis praebet, quare per ductus subterraneos in Arycandum fluvium, qui non procul a lacu oritur, eum effluere ponamus necesse est. Haec planities, cum reliqua Lyciae pars proficiscenti in Ciliciam vel Pamphyliam viam aptam non offerat, ob Alexandri Magni expeditionem celebritatem quandam nacta est. Quum enim Xantho flumine transmisso, Pinara, Xanthum urbem et Patara aliaque minora oppida circiter triginta in deditionem accepisset, media hieme in Milyada regionem movet. cf. Arrian. I, 14. Quod quum via supra montes altos vel in ora maritima propter nivem tempestatemque nec patefacta nec trita esset, non nisi per eam planam regionem, tum in Arycandi vallem, deinde in Limyrae agros fieri potuit. Telmissenses enim Alexandro insidias parantes omnem viam in Pamphyliam ducentem firmis praesidiis obsidebant, ita ut rex eos longo circuitu neque exercitui commodo aggredi cogeretur. Itaque quum Phaselidem venisset, aliquam exercitus partem ad mare per littus sub radice Climacis duxit. Haec autem via, quae propter montem mari incumbentem arctum modo transitum reliquit*), aliter confici non potest, nisi ventis a septentrione flantibus, namque austro ingravescente et mari exundante aegre per littus iter fit et fluctibus admodum obtegitur. Alteram autem partem per

---

*) Strab. XIV, 666.

